



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Ioan. à Ribera Arch. Valentin. 18

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

Testima-  
nium Honij  
de studio  
nostrorum  
in catechi-  
zando.

Societati. Illa vero optimi Antistitis desiderio per Ludouicum Makeblidium impigre, cumulateque satisfecit. Ita in Imag. 1. sac. Soc. lib. 3. cap. 3. f. 354. Et postea cap. 6. f. 771. affertur celebre eiusdem Honij testimonium de nostro Catechizandi studio, quod huiuscemodi verbis luculenter commendat. Docet tristes experientia per bellorum, & heresam tempestates præteritas, ruri præsertim, deperditam esse rerum diuinarum, & ad salutem necessariarum cognitionem, maxime in pueris, & iuuenibus hac tempestate natis. Quare pergratum nobis accidit studium Venerandorum Patrum Societatis IESV, quos intelleximus pro suo in animarum salutem zelo, ad pagos, qui tuto accedi possunt, passim excurrere: & rudem populum, ac præsertim iuuentutem, doctrinis ad integritatem fidei, & probitatem morum instituere. Quod vt pium est opus, & hoc tempore, hisque locis pernecessarium, optimis quibusque Pastoribus, & populi Præfectis acceptum esse non dubitamus. Vt autem maior hinc fructus surgat, & plures Deo per dictos Patres lucrifiant, obsecramus in Domino, & nihilominus districte præcipiendo mandamus, omnibus Pastoribus quorumcumque locorum Diæcesis nostræ, ad quos forte dictos Patres venire contigerit, vt ipsos benigne suscipiant, & in suas Ecclesias gratanter admittant, populum, & præsertim iuuentutem ad eosdem audiendos conuocent; & tam ipsi, quam Domini temporales eosdem in hoc pio Officio adiuuent, quandocumque, & quibuscumque poterunt modis.

Laudatur  
Societas in  
Borgia  
Generali.

18. \* A IOANNE DE RIBERA Archiepiscopo Valentino ac Patriarcha Antiocheno, literis ad Nuncium Apostolicum, quibus ille commendat electionem B. Borgiæ in Generalem Societatis, cum ingenti vtriusque laude. Cum (inquit) de P. Francis Borgiæ sanctitate mecum ipse cogitarem, non vulgarem fuisse mihi persuasi, cumque venerari, ac colere quamuis indignus optaui. Sic enim existimabam Deum non sine causa illum tam illustri Ordinis Præpositum Generalem constituisse, eo maxime tempore, quo Societas IESV postquam instituta recens fuisset

Eius pia, &  
prudens  
viuendi  
ratio.

fuiſſet confirmanda erat, atque in ſua tam pia prudentique viuendi ratione ſtabilienda. Haud enim Chriſtiani pectoris eſt credere, Deum cum tam vigili prouidentia oculo in omnes religioſas familias, quæ ſunt veluti quædam publica doctrina, & ſanctitatis æraria, excubet, has verasque diuitias, quibus Societas Ieſu maxime affluit, ei commiſſurum, qui non eas prudenti, fidelique cura adminiſtraturus eſſet. Nam vt pro certo habere debemus, B. P. Ignatium ſingulari diuinæ gratiæ munere in publicam mortalium vtilitatem huius Ordinis fundamenta ieciſſe, ita nefas eſt dubitare, ad ipſum perſiciendum, expoliendumque eadem diuina gratia minime fuiſſe deſtitutum, cum vtrumque Dei Opus ſit, & poſtremum hoc maioris momenti ac ponderis, quam primum; vt eiufdem Societatis incrementa teſtantur. Apte enim de illa dici poteſt illud Prophetæ, vineam de Ægypto tranſtulisti, eiecisti gentes, & plantaſti eam. Plurimum quidem B. P. Ignatius laborauit in huius vitis palmitibus quærendis, at non minoris laboris fuit eam in rebus aduerſiſſimis conſeruare, atque ab hoſtibus, qui in illam vndique veluti facta manu concurrerunt, tueri, atque defendere, dum tam latè radices extenderet; vt totum plane terrarum Orbem impleret, quod certe iam cernimus. Quod ſi abſque Chriſtianæ pietatis, ac prudentiæ iniuria in dubium reuocare non licet ſanctitatem eius, qui Ordinem hunc primus inſtituit, ac veluti genuit, peperitque, nihilo minus certe eximiam eius virtutem, qui illum cum in tenera adhuc ætate eſſet, educauit, & glorioſiſſimè auxit, atque amplificauit, &c. *Hæc Archiep. & Patriarcha, Societatis, & Franciſci noſtri amantiſſimus literis ad Nunciũ datis 23. Auguſt. ann. 1608. ex Hiſpano idiomate Latine fideliter conuerſis.*

*Eſt publicum doctrina & ſanctitatis ærarium.*

*Cuius fundamenta in publicam vtilitatem iecit Ignatius.*

*Vitis eſt filiorum palmitibus auſta, Pl. 79. 9.*

*Et licet ab hoſtibus impetita.*

*Radices per totum orbem extendit.*

19. AB STANISLAO CORNEOVIO *Archiep. Gneſnenſi, legato nato, Regni Poloniæ Primate, primoque Principe in Epift. ad Baronium, quæ habetur initio 4. Tomi Annal. Ubi probat Societatem contra Lutherum erectam, Equique Troiani inſtar his verbis.*